DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

TYPHO

COMPLECTENS.

PETRO HARDIE Auctore.

A CULLENO celeberrimo illo medico et nosologo, Typhus ad classem Pyrexiarum ordinemque Febrium refertur, atque verbis sequentibus definitur;

"Morbus contagiosus; calor parum auctus;
"pulsus parvus, debilis, plerumque frequens;
"urina parum mutata; sensorii functiones plu-
"rimum turbatæ; vires multum imminutæ."



HISTORIA MORBI.

Indicia Typhi nonnunquam adeo levia sunt, ut morbus vix pateat; et interdum materia pestifera vel alia causa in corpus vi ingenti, a principio usque, agit, ut æger quasi fulmine percussus, dejiciatur; quod autem in hac regione rarius.

Morbus ferme tardius et insidiosius irrepere solet; æger aliquantum debilis est, languidus, solitisque occupationibus minus aptus; languent oculi; dolent dorsum, partesque extremæ, quæ solito infirmiores. Mens subinde vagatur; tremunt manus; caput vertigine aut ponderis sensu aut dolore laborat; depressio est quoque animi; molestiæ sensus totum corpus pervadit, et musculi, quum tanguntur, quasi contusi sentiuntur.

Friget ægrotans et ad focum diu assidet; frequentes insuper alternationes frigoris calorisque sibi invicem succedunt, donec, sensu frigoris brevi tempore omnino cessante, calor corporis major solito fit; somnus cui interdum propensior

est, fractus, et malis somniis gemitibusque perturbatus, fatigatum parum reficit. Pulsus debilis et plerumque frequens; respiratio difficilis, præsertim sub nocte; lingua etiam muco tenui et subalbido obtecta; appetentia cibi multum imminuta; nausea et nonnunquam vomitus, una cum siti adest, alvus adstricta, et urina pallida aut limpida, solitoque parcior: Hoc vel modo simili, per primos dies, afficitur ægrotus.

Sunt tamen in quos morbus vi majore ingruit; rigores, si ulli, violentiores, calorque succedens intensior; animus admodum demissus; debilitas adhuc major; dolor capitis, dorsi, et extremitatum; pulsus citior et debilior; nausea item, vomitus, et sitis magna urgent; omnia quæ signa versus vesperem semper augentur, plerumque cum remissione matutina.

Morbo ingravescente, signa quoque graviora fiunt; anxietas magna; calor quoque ad gradum 102^{dum} 104^{tum} et interdum usque ad 105^{tum} thermometri Fahrenheitii, raro altius, ascendit, sed nonnunquam etiam parum augetur. Respiratio generatim frequens, atque suspiratione vel tussi sicca interrupta; lingua a principio subalbida, nunc arida, et muco subfusco obduci-

tur; gustus multum diminuitur; oculi rubescunt; arteriæ temporales fortiter micant, et caput admodum dolet; adest etiam sæpe delirium, nonnunquam vehemens, plerumque autem generis demissi.

Morbo adhuc progrediente, debilitas fit prægrandis, et, corpore erecto, interdum accidit syncope; mox hebescunt aures; vitiatus est quoque sensus visus; et fine fatali instante, subinde exilit ægrotus, et appetere res, quas conspicit, ante ipsum transeuntes, conatur, vel digitos applicat stragulis, quæ ipsi virgata vel cum maculis nigris obtecta, apparent. Flavent quoque interdum oculi, et alia signa bilis secretionis auctæ, præcipue in tempestate calida sese manifestant. Est etiam eruptio haud raro circum os vel nasum: vox depressa, imbecillis et sæpe canorior vel solito raucior est; nunc alvus sæpe laxa fit, et dejectiones virides vel nigræ, frequenter admodum fœtidæ et sanguine mistæ, interdumque cum torminibus comitatæ.

Hæc signa quoque cum petechiis subinde comitantur: hæ maculæ exiguæ sunt, coloris rubri vel subfusci, vel subnigri, per cutem dispersæ; in cervice, autem, pectore, et dorso maxi-

me conspiciuntur, et quinto aut undecimo febris die, sed nonnunquam usque serius, apparent. Cutis aliquando magnitudinis maculis amplioris, colorisque plerumque subpurpurei, aliasque lineis vel colorum labibus disparium, Vibicibus nominatis, subtegitur. Aphthæ coloris albidi, fusci vel subnigri, sæpe ulcerantes, in faucibus haud raro cernuntur. Interdum est proclivitas ad gangrænam, quæ in illis corporis partibus pressuræ expositis potissimum apparet; et hæmorrhagiæ e naribus, gingivis, et aliis partibus nonnunquam erumpunt. Æger, ore aperto, resupinus jacet, et ad lecti imum delabitur; raro se movet, vel corporis posituram mutat; lingua tremit protrusa; saliva porro ubertim ex ore fluit, et aliquando adeo viscida, ut ægrotum multum vexet; artus in quibusdam, morte accedente, vellicatione musculorum perpetua, agitantur, convulsione totius corporis haud raro sequente. Æger mœret, secumque mussitat perpetuo; oculi plerumque inflammati sunt, segnes autem et semiclausi; concavi interdum immobilesque in orbitis evadunt, ex quibus lachrymæ aliquando invite stillant.

Pulsus frequentissimus, nonnunquam abnormis, vel intermittens, adeoque debilis, ut vix enumerari possit, evadit: alias autem, præter naturam tardus; atque respiratio languida et frequens.

Lingua antea albida vel subfusca, nunc subnigra atque sulcata fit; crusta nigra interdum item dentes labiaque obteguntur: Fœtet illi anima; deglutitio difficilis est; urina initio morbi pallida vel rubra, nunc nonnunquam nigra fit, maleque olet, una cum sudoribus frigidis et glutinosis; odor fœtidus totum corpus pervadit; fæces urinamque æger inscius reddit; et singultus, subsultus tendinum, ac diarrhœa perpetua superveniunt.

Signorum hujus morbi, quæ tam varia sunt, præcipua solummodo in hoc opusculo memorantur, multis eorum in silentio præteritis; nam morbum, pro ratione vitæ, ætatis, corporis, constitutionis, habitus, et terræ regionis, formas diversas induere, satis constat. Tempus quo hic morbus cursum suum complet, in diversis casibus, valde variat. In regionibus calidis, ultra diem septimum vel decimum raro manet; sed in nostris, sub hebdomadæ initio tertiæ tantum

decedere incipit: non quidem desunt exempla, in quibus ad hebdomadam quintam vel sextam sese protraxit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

TYPHUS omnibus anni temporibus sese ostendit: CURRIE tamen et BANCROFT, frigida plerumque anni tempestate, hunc morbum grassantem conspexerunt. De hac re in prælectionibus suis, inquit etiam celeb. GREGORIUS: "I "have found this fever most frequent during "the coldest weather of winter." Eos quoque utriusque sexus, in vitæ meridie plerumque afficere videtur. Quæcunque corpus infirmant, huic morbo obnoxium reddunt, scilicet, vita sedentaria, Venus immodica, et intemperantia omnigena; fatigatio magna, quacunque via inducta; morbi præeuntes corpus reddentes infirmum; purgatio alvi iterata; hæmorrhagiæ; studium nimium; vigilia diuturna, et somnus etiam, inter quem, languidior sanguinis circuitus quam dum vigilamus. Affectus animum deprimentes, anxietas nimirum, mœror vel metus, ad hunc morbum etiam prædisponent, de quibus Doctor

Lind, verbis sequentibus utitur: "It is a recei-
"ved opinion, that fear is a cause of itself suf-
"ficient to produce, in certain dispositions, a
"bad or malignant fever. There are, at least,
"many instances in besieged towns, where no
"other reason could be well assigned for the
"rise of malignant diseases, than the dejection
"of spirits, grief, and panic of the inhabitants,
"occasioned by the bombardment and the ap-
"prehensions of a violent death from some sud-
"den assault of the enemy. This much is cer-
"tain, that such passions of the mind serve
"powerfully to propagate an infection, even the
"plague itself. So that, on all such occasions,
"too much art cannot be used, to animate with
"hope and confidence, both the afflicted and
"the sound." Neque absimile est, quin gau-
dium, aliaque ejusdem generis, debilitate non parva producta, effectus similes ostendant. Eosdem effectus habere solent concoctio tarda, vel prava; frigus, præsertim humori junctum; inedia diuturna, aër inquinatus, et diæta tenuis atque parca, vel e rebus parum nutrientibus constans; hinc, inter pauperes, præcipue in oppidis magnis, sæpe cœnosis, late grassatur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Contagium vel effluvia e corpore humano emissa, procul dubio omnium est usitatissimum. Quod ad ejus naturam autem attinet, adhuc in obscuro latet. Quidam tamen, hydrogenium esse nonnullis materiis animalibus admistum, putaverunt. Suis effectibus solum cognoscitur: Sed de hac re obscura, plus dicere esset inutile.

Halitum pulmonum materiamque subtilissimam ab omni cutis foramine continuo manantem, si diu eodem in loco coërcita sint, neque per auras diffusa, egregie acria evadere, febrisque admodum contagiosæ causam præbere excitantem, quorum non desunt plurima exempla, satis manifestum est. Hæc effluvia in nosocomiis, carceribus vel navibus pro his usurpatis, omnibusque locis in quibus, aëre puro non admisso, plurimi infarciuntur, frequenter generantur. Domus pauperum præcipue magnis in oppidis ac cœnosis, qui, ut frigus hibernum vitarent, ostia fenestrasque claudunt, quo et lux et aër purus excluduntur, munditia simul non servata, recep-

tacula typhi sæpissime evadunt. Secundum auctores, effluvia e corporibus hominum quibusdam morbis laborantium orta, hanc febrem sæpe excitant *. Inter causas excitantes, exhalationes ex rebus putridis natæ, atque miasmata paludum, etiam enumerantur. De hoc PRINGELIUS his verbis utitur:—"In general, it "may be remarked, that the putrefaction of "animal or vegetable substances in a dry "air, is most apt to produce a malignant fe-"ver of a continued form; whereas putrid ef-"fluvia in a moist atmosphere, have a greater "tendency to bring on paroxysms and remis-"sions."

---

* "This disease is incident to every place ill-aired and kept dirty, that is, exposed to putrid animal steams from foul or diseased bodies. And upon this account, jails and military hospitals are most obnoxious to this kind of pestilential infection; as the first are in a constant state of filth and impurity; and the last are so much filled with the poisonous effluvia of sores, mortifications, dysenteries, and other putrid excrements. I have known instances of its beginning in the hospital, when there was no other cause but one of the men having a mortified limb."—PRINGLE, *On the Diseases of the Army.*

Contagium quacunque via procreatum, multis materiis conservari potest; supellectile, nimirum, et vestimentis omnigenis; et usque in parietibus domorum, ubi ægroti jacuerunt, latitat: Res autem laneæ atque lignum melius quam pleraque alia contagium custodire putantur. Materiæ ita vitiatæ medicis Fomites appellantur, quæ illud sæpe diu conservant, etiamque ad distantiam magnam vehere possunt. Morbum ex fomitibus contractum magis periculosum esse quam ex homine ipso laborante, medicis vulgo creditum est.—"It appears to me probable," inquit celeb. CULLENUS, "that contagions as "they arise from Fomites, are more powerful "than as they arise immediately from the human body." PRINGLE et LIND, de hac re eodem modo loquuntur.

Quamvis nonnulli sunt, qui, hunc morbum, Pestem, vel alia mala, per contagium, id est per medium aëris gigni posse, negant, plerique medici, rem aliter se habere, opinantur. Ex HAYGARTHII observationibus, non unum ex viginti et tribus, vel usque unum ex triginta et tribus, contagium effugere, cum ejus impetui pro tempore satis longo objecti sint, hominesque

æque contagio typhi ac variolæ obnoxios esse, docemur.

Neque contagium longe lateque per auram se dispergit; sed non in typho solum, verum etiam in omnibus aliis morbis contagiosis, fortasse ad paucas ulnas, verisimile ad paucas pedes, tantum ab ægrotis in aëra extendit. Huc illuc tamen vento pervehatur, et morbus ad distantiam e corporibus febricitantium haud parvam hoc modo impertiri possit; cujus rei exempla haud pauca medici auctores enumerare solent; inter notabilissima autem scriptoribus memorata, id quod apud "Old Bailey" evenit, locum profecto meretur. Temporis intervallum a contagii receptione, donec suis effectibus se ostendit, in diversis casibus variat; interdum hi statim apparent, sed verisimile est, plerumque contagium non statim agere, in corpore autem humano pro tempore iners manere, nullaque morbi signa, pro uno, duobus vel tribus diebus, vel aliquot hebdomadis, interdumque usque mensibus, observari. Medicos atque alios qui febricitantibus inserviunt, morbis contagiosis non admodum obnoxios esse, satis manifestum est; quia corpus humanum cum impetui conta-

gii diu et sæpe objectum sit, eo nedum affici demum videtur. Quorundam in usu medicamentorum, sicuti digitalis, opii, nicotianæ tabaci, atque multorum aliorum, exempla bona ejusdem consuetudinis effectus, habemus: hæc enim diu usurpata, mox ex eadem quantitate suos effectus in corpus perdunt, et igitur major, ut effectus consueti producantur, necessaria evadit.

DIAGNOSIS.

Typhus a febre synocha pulsu frequente, debili et parvo; debilitate perinsigni, et interdum subita; modo lento aliquandoque leni, quo sæpe impetum facit; causis excitantibus necnon genere nervoso plurimum laborante, et proclivitate ad putredinem, facile distinguitur. Dum quoque in synocha facies rubra, in hoc pallida est, et animus admodum demissus. Quandoquidem febris continua est, hac re ipsa inter eam et intermittentem, diagnosis satis manifesta est.

PROGNOSIS.

Hic morbus valde levis primo sæpe videtur, quamvis inopinanter tandem fatalis; interdumque ægrotus, multis malis signis sese ostendentibus, convalescit. Prognosis igitur cum cautione dicenda est. Caloris tamen sitisque diminutio, lingua in summo morbi gradu nitida humidaque, antea admodum sicca et subfusca; pulsus plenior, fortior minusque frequens; sudor lenis, remediis stimulantibus non productus, totum corpus æqualiter pervadens; atque etiam diarrhœa mitis sub morbi finem, bona signa habenda sunt. Magna urinæ copia sedimentum deponens, exitum quoque benignum portendere dicitur. Faustum est etiam ubi vox parum mutatur, vel si mutata fuerit, ubi naturalis iterum evadit. Secretio salivæ aucta in febribus sæpe bonum signum item esse dicitur; in quibusdam ad salivationem auxit, crisinque induxit: cujus rei Huxham mentionem facit. Hujusmodi etiam sunt quarundam tumores glandularum, præsertim parotidum, ubi ad suppurationem procedunt.

Signum quoque plerumque faustum est surditas. Exitum felicem etiam prædicere licet, si minuitur delirium; si eruptio acris circa labia et nasum; si relevatur stupor atque coma; si vultus parum mutatur, et e colore subfusco vel subnigro in rubicundum petechiæ mutantur; si vinum jam sumptum vires ægri recreare, et pleniorem fortioremque pulsum reddere, videtur; atque si redeunt appetitus et somnus, et apparet somnolentia haud tamen in coma crescens. Hæmorrhagiæ quoque leves nonnunquam, verum rarius, aliquid boni afferunt.

Nunc de signis generis diversi pauca dicamus. Notandum igitur sit, plerumque quanto manifestiora debilitatis signa vel proclivitatis ad putredinem, tanto majus periculum impendere.

Vertigo, nausea, pervigilium, tremores linguæ et manuum magni, oculi languidi et hebescentes, et oris ariditas magna, inter mala signa enumeranda sunt. Quum, corpore erecto, accidit syncope, et supervenit delirium permanens vel coma; quum rubescunt oculi; quodammodo sursum vel ad latus versi, aut fixi in orbitis manent; quum, ore aperto, æger resupinus jacet, perpetuo ad imum lecti delabitur, subsultusque tendinum et suppressio urinæ eve-

niunt; quum pulsus frequens, valde debilis, vel inæqualis, aut præter solitum tardus, et respiratio debilis vel interrupta; quum facies Hippocratica se ostendit; vox a naturali multum mutatur; ægerque aliquid vix devorare potest; quum lingua sicca, unaque cum dentibus labiisque crusta subnigra tegitur; quum æger secum perpetuo mussitat, in stragulis floccos legit, et visus ei deficit, vel queritur se videre muscas ante oculos volitantes; quum fœtet illi anima; odor putridus totum corpus usque pervadit, et urinam et fæces male olentes inscius reddit, frigidis glutinosisque sudoribus etiam comitantibus; quum ille singultit, extremitates frigescunt, unguesque livescunt; et hæmorrhagiæ et maculæ gangrænosæ in variis partibus superveniunt; quæ omnia exitum infelicem portendunt.

RATIO MEDENDI.

Multum, in principio hujus morbi, pro ægroto sæpe fieri potest: Hic enim non tantum multum contrahi, interdum autem, remediis idoneis mature adhibitis, omnino coërceri possit.

Est medici igitur, ut impetum ejus rumpat, vel ei prorsus occurrat, primo attentare; ergoque, hoc consilio, simul ac, ægrotum febricitare, suspicatur *emeticum* statim dare oportet. Tartras antimonii et potassæ, vel ipecacuanha, vel ambo, adhibeantur. Emetico non solum ventriculus depletur, sed etiam, secundum celeb. GREGORIUM, totum systema quasi concussionem accipit, ordoque vel cursus symptomatum subito sic turbatur, vel occurritur, ut per vomitum, omnia signa haud raro omnino tolluntur. Emetica quoque alvum movent, cursum humorum ad cutem promovent, corpus etiam infirmant, ideoque somno fortasse favent: Diem morbi ante sextam cum fructu idem Professor emetica adhiberi, quoque affirmat.

Si *emeticum* effectum febris obsistendi non habuerit, adhuc est alterum, et efficacissimum remedium, *aquæ nimirum affusio frigidæ super corpus nudatum*, quod, quamvis primo aspectu asperrimum, cum exitu felicissimo, in multo majore casuum numero adhibitum est.

Aquæ usurpatio frigidæ et externe et interne inter antiquos nota fuit. In temporibus recentioribus a Doctore WRIGHT, et quibusdam

aliis, cum fructu, externe administratur. Donec observationes tamen utiles, de hac re, edidit præclarus Doctor Currie, in usum generalem nunquam veniebat. Febre igitur adhuc perstante, super ægri corpus nudatum, aquæ frigidæ potiusve salis marini solutionis fortis, congii quatuor vel quinque ex alto fundantur, quo facto, æger bene siccandus, atque statim in lecto locandus est.

Tali remedio valde reficitur ægrotus; pulsus arteriarum pleniores sed tardiores fiunt; calor multum minuitur; sudorque lenis et somnus desiderabilis plerumque sequuntur. Si vero supra modum calor revertit, iterum iterumque repetatur affusio; quo, vel mitiorem se declarat febris, vel e conspectu omnino evolat. Porro, affusiones, morbo incipiente, tres vel quatuor subinde febrem prorsus tollunt; una etiam interdum, sed rarius, eundem effectum habet. Verum non secus ac multorum aliorum remediorum, ex ejus usu maturo multum pendet. Idem auctor monet, hoc, cum ad summum pervenerit exacerbatio, vel statim cum declinare inceperit, tutissime ac faustissime posse usurpari: ideoque ex hora sexta ad nonam vespertinam temporis spatium

antepósuit. Sed ulla diei hora, si corporis calor super naturam constanter maneat, magno cum fructu usurpetur. Cavendum est tamen ne affusionem imprudenter adhibeamus; lædit enim admodum, si ægri corpus sudore roratur, vel si de frigore queritur. "Neither ought it to be "used," inquit CURRIE, "when the heat mea-"sured by the thermometer is less than, or even "only equal to, the natural heat, though the "patient should feel no degree of chilliness:" Addit etiam, "This is sometimes the case to-"wards the last stages of fever, when the powers "of life are too weak to sustain so powerful a "stimulus." Igitur, quum hæc sese ostendunt, aquæ effusio frigidæ nequaquam adhibenda est. Porro, si morbus profectum haud parvum fecerit finem versus, debilitate jam magna, statim post affusionem vinum rubrum calefactum, dandum est. Quando, ob spectantium judicia, affusio frigida non adhiberi potest, vel aqua aceto mista ope spongiæ, corpus lavari, vel pro frigida affusionem tepidam substitui, oportebit, Quamvis hæc non tam efficacia, nihilominus ægro haud paulum succurrere inveniuntur.

In omni febre alvus principio plerumque adstricta est, vel ex secretionis consuetæ defectu vel ex torpore. Fæces quoque, etsi vix ullus cibus sumitur, maxime abundant, quæ si in intestinis remanerent, brevi valde acres fient: *Purgantia* igitur sordes ad amovendas, adhiberi oportet. Doctor HAMILTON purgantia fortiora, submurias hydrargyri, nimirum, aloën, jalapium, pulv. jalap. comp. et alia usque donec fæces naturales fiunt, usurpare solet. Cavendum est tamen accurate, ne supra modum purgetur. Per totum autem morbi decursum, alvus certe facilis tenenda est.

Cavendum etiam est ut aëri impuro non objiciatur æger, nam hoc in casu, parum boni a remediis fieri potest. Summa munditia observanda est; indusia atque toralia frequenter mutari, et omnia quæ aëra cubiculi polluere possunt, amoveri debent. Porro, æger ab omni irritamine procul servandus est.

Refrigerantia, quibus calor corporis morbidus minuitur, in hoc morbo quoque usurpantur, qualia sunt sales medii, vel acida tum vegetabilia tum mineralia. Curatio autem morbi remediis efficacioribus potissimum confidenda est.

Quum pervigilium ægrum vexat, *opium* ad somnum efficiendum, in forma haustus, dare licet. Si tremores aut subsultus tendinum sese manifestant, vitamque ægri minitant, hoc remedium potentissimum largiter adhiberi oportet.

Cinchona apud plurimos medicos, et inter eos celeb. GREGORY, parum æstimari videtur; dum apud alios remedium potentissimum habetur, et summo cum frūctu usurpari dicitur.

Vinum rubrum tamen rite adhibitum, ægro vitæ salutique esse, fere omnes consentiunt. Hoc autem principio parce, donec ejus effectus sedulo notaverimus, dandum est; quoniam nimium vini ægri vires irritamento plus justo, exhauriant. Adde, prout ætas viresque ægri, et vis morbi postulent, usurpandum. Sed libram unam intra viginti quatuor horas generaliter satis esse, putatum est. Multo plus tamen interdum adhibitum. Si æger vino gaudet, si hoc pulsus firmat, delirium demissum minuit, et vires reficit, deinde perstare licebit. Quum vinum obtineri nequit, vel ægro non congruit, alcohol multa aqua dilutum, vel liquor *cyder* dic-

tus, vel cerevisia Londinensis, quæ *porter* vocatur, pro eo cum fructu substitui potest.

Vesicatoria, quum affectiones topicæ sese ostendunt, nunc plerumque tantum usurpantur. Igitur, cum caput valde dolet, abradere, et vesicatorium imponere, oportebit. Vesicatoriis tamen, si putredinis indicia apparuerint, non licebit uti. Fructus autem optimi in affectibus capitis, lavando id rasum aqua frigida, vel constanter applicando pannos aqua frigida madefactos, oriuntur. Ad nauseam et vomitum amovendam, haustus effervescentes, et diarrhœam, astringentia, adhiberentur.

Diæta ex fructibus maturis, sago, panada, jusculo vitulino vel bovino, omnibusque aliis concoctu facillimis, constare debet. Pro potu, cerevisia tenuis, lac cum aqua mistum, aqua vel pura vel acido limonum acidula, multaque alia hujusmodi, ad libitum usurpari possunt.

PROPHYLAXIS.

Hic morbus semel procreatus, longe lateque se diffundat. Quædam sunt observanda, ut hoc

quamprimum prævertatur. Simul atque morbus se manifestat, æger in partem ædificii bene ventilatam amoveri debet. Toralia atque indusia, ut supra memorata, subinde mutanda; excrementa statim auferenda, et munditia summa servanda. Aër quoque purus in cubiculum libere admittendus. Cubicula, quoque, naves, carceres et nosocomii, cum aceto spargi, maxime autem cum vaporibus acidi nitrosi vel muriatici, more quem Doctor CARMICHAEL SMYTH, et GUYTON MORVEAU, instituerunt, fumigari debent. Horum, vapores fortasse acidi muriatici, ad contagium debellandum, maxime valent.

Vestimenta etiam sordida in aquam frigidam statim jactarentur, postea siccarentur, et his vaporibus bene fumigarentur, priusquam lavari mittuntur, aliter febris lotoribus impertiatur. Neque ulli præter eos qui iis inserviunt, ægrescentes appropinquarent; qui, ne super lectum febricitantis sedeant, aut ne halitui ex ejus corpore illico orienti, sese exponant, cavere debent; oportet quoque causas contagii impulsui prædisponentes, effugiant. Spongia cum aceto vel

quibusdam aromaticis madefacta, naribus et ori accedentium ægrotis, etiam applicari commendatur. Adhibendum quoque diætam nutrientem ; utendum est etiam exercitatione sub Divo, una cum quantitate vini modica. Insuper curandum est, ut saliva ex ore subinde expuatur, et mucus naso item perfletur. Evitandi sunt etiam affectus animum præcipue deprimentes ; nam " few things are better preservatives a-" gainst infection, than fortitude and equanimi-" ty *." Denique, quæcunque corpus roborant, minus prædisponere, ut contagium recipiat, videntur. Omnium autem horum ex Doctoris CURRIE observationibus, fortasse potentissimum est balneum frigidum, quod igitur iis impulsui contagii objectis, frequenter usurpari debet.

---

* WILSON on Febrile Diseases.

FINIS.